N.º 16.

# OFFICIVM PROPRIVM,

## RECITANDVM IN ALMA ECCLESIA GADICENSI, ET DIŒCESI,

In Solemni Feſtiuitate Immaculatæ Conceptionis Sacratiſsimæ Virginis Dei-Genitricis Mariæ, ab originali peccato in ſuo primo inſtanti præſeruatæ,

*DIE VIII. MENSIS DECEMBRIS, & per Octauam.*



*Anno* 1662.

GADIBVS

*Ex officina Ioannis Laurenti Machado Typographi.*

SI hoc Feſtum venerit in Dominica ſecunda Adventus, fit de feſto cum comm. Dominicæ in vtriſque Veſp. & Laudib. & nona lect. erit de homilia Domi. & Euang. vltimum Miſſæ.

Quando acciderit quod in Feria quarta Quatuor Temporum recitandum ſit Officium de infra octaua tunc lectiones primi noct. dicantur de libro Eccleſiaſtici, *Ego ex ore altiſsimi prodiui*, vt in proprio die Conceptionis B. M. & nona lectio erit de Homilia.

Adverte diligenter, quod ſi dies octaua venerit in Dominica tertia Adventus, in Veſperis Sabbati, dicuntur Pſalmi, & Antiphonæ feriales de Sabbato. Et á capitulo fit de Dominica, cum comm. diei octauæ, vt in primis Veſp. Feſti, & Sãcti Euſebij Epiſcopi, & Marty. & totum Officium ſequẽtis diei fit de Dominica tercia Advẽtus cum comm. diei octau. & S. Euſebij, in Laudib. & Miſſa, & in ſecundis Veſp. fit comm. de octaua vt in ſecundis Veſp. Feſti.

In hymnis dicitur Gloria tibi Domine per octauam in omnib. qui fuerint eiuſdem metri.

In Prima, in Reſp. Breb. dicitur: Gloria tibi Domine, qui natus es de Virg.

OFFI-

# OFFICIVM PROPRIVM,

## RECITANDVM IN ECCLESIA, ET DIOCOESI Gadicen, in Feſto Immaculatæ Conceptionis Sacratiſſimæ Virginis Dei-Genitricis MARIÆ.

*Sub Ritu Dup. 1. Claſsis cum Octaua.*

Die VIII. Decembris.

*In Veſp. vt in primis veſper. Conceptionis B. M. in Brebiario poſitis cum com. feriæ ocur. & non fit comm. S. Ambroſ.*

Ad Matut.

*Omnia vt in Brebiario, cum comm. fer. ocurr. in Laudibus, & Miſſa. In ſecundis Veſp. comm. Sanctæ Leocadiæ Virg. & Marty. vt in proprio Sāct. Hiſpannorum, & Feriæ.*

Die IX. Decembris.

*Et ſecunda infra octauam, fit de S. Leocadia Virg. & Marty. duplex omnia vt in proprio SS. Hiſp. cum comm. octauæ, & Feriæ, & in ſecundis Veſp. fit comm. S. Melchiadis Pap. & Marty.*

Die X. Decembris.

*Et tertia infra octauam.*

In 1. Nocturno.

*Lect. de Scrip. occurrente.*

In 2. Nocturno.

*Sermo S. Bernardi Abbatis, Serm. in cap. 12. Apocal.*

LECTIO iiij.

NOuum fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circumdàret virum, nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius, nouum quoque fecit in cœlo, vt mulier Sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & vicıſſim ab eo meruit coronari. Egredimini Filiæ Sion, & videte Regē Salomonē in diademate, quo coro-

coronauit eum mater ſua. Verùm hoc alias. Interim ſanè ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus in capite, inquit, eius corona ſtellarum duodecim.

R. iiij. Conceptio glorioſæ Virg.

LECTIO v.

DIgnum plane ſtellis coronari caput, quod & ipſis longe clarius micans, ornet eas potiùs, quâm ornetur ab eis. Quidni coronent ſidera, quã Sol veſtit? Sicut dies verni circundabant eam flores roſarum, & lilia conuallium, Nimirum læua ſponſi ſub capite eius, & iã dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet, quibus MARIÆ regium diadema compactũ eſt.

R. v. Cum Iucunditate.

LECTIO vj.

QVid ergo ſidereũ micat in Generatione Mariæ? Plane quod ex Regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe Dauid. Si id parum vdetur, adde quòd Generationi illi ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinitus noſcitur eſſe cõceſſa: quòd longe ante eiſdẽ Patribus Cœlitus repromiſſa, quòd myſticis præfigurata miraculis, quód oraculis prænũtiata propheticis. Hãc enim Sacerdotalis virga dum ſine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis viſione orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.

R. vj. Conceptio tua.

In 3. Nocturno.

*Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum.*

LECTIO vij. cap. 1.

LIber Generationis Ieſu Chriſti, Filij Dauid, Filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. & reliqua.

Ho-

## Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

*Lib. 1. comment. in Matth.*

IN Iſaîa legimus: Generationem eius quis enarrábit? Non ergo putemus Euãgeliſtam prophetæ eſſe contrarium, vt quód ille impoſsibile dixit effátu, hic narráre incipiat: quia ibi de Generatione diuinitatis, hic de incarnatione eſt dictum. A carnalibus autem cæpit, vt per hominem, Deum diſcere incipiámus. Filij Dauid, Filij Abraham. Ordo præpoſterus, ſed neceſſario commutatus. Si enim primũ poſuiſſet Abraham, & poſtea Dauid, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, vt Generationis ſeries texerètur.

R. vij. Beatam me dicent.

LECTIO viij.

IDeò autem cęteris prætermiſsis, horum Filium nuncupáuit, quia ad hos tantũ eſt facta de Chriſto repromiſsio, ad Abrahã: in ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes Gẽtes, quòd eſt Chriſtus, ad Dauid: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Notandum in genealogia Saluatoris nullam ſanctárum aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura repræhendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omniũ peccáta delèret, vnde, & in conſequentibus Ruth Moabitis pònitur, & Bethſabee vxor vriæ.

R. viij. Felix namque es.

LECTIO jx.

IAcob autẽ genuit Ioſeph. Hunc locum obiecit nobis Iulianus Auguſtus, de diſſonantia Euangeliſtarum, cur Euãgeliſta Matthæus, Ioſeph dixerit Filium Iacob, & Lucas eum Filiũ appellárit Heli: non intelligens conſuetudinem Scripturarum, quò alter ſecúndũm natúram, alter ſecũndùm legem ei Pater ſit.

Scimus

Scimus enim hoc per Moyſen, Deo iubēte, præceptum, vt ſi frater aut propinquus abſque liberis mortuus fuerit, álius accipiat vxórem ad ſuſcitándum ſemen fratris vel propinqui ſui. Ioſeph virum Mariæ, cùm virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum: ſed recordáre conſuetudinis ſcripturarū, quòd Sponſi viri, & Sponſæ vocentur vxóres.

TE DEVM.

*In laudibus comm. Feriæ, & S. Melchiadis. Veſp. de S. Eutychio Mart. Patron. huius alm. Eccleſiæ. Duplex Maius, cum comm. octauæ, & Feriæ.*

Die XI. Decembris.

*Et quarta infra octauam.*

*De S. Eutychio Mart. Duplex Maius omnia de communi vnius Martyris.*

ORATIO.

PRæſta quęſumus omnipotens Deus: vt intercedente Beato Eutychio, Martyre tuo, & à cunctis aduerſitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum noſtrum.

In 1. Nocturno.

*Lect. de Script. occurr.*

In 2. Nocturno.

*De expoſitione S. Ambroſij Epiſcopi.* (Principes perſecuti ſūt) *De communi vnius Martyris.*

In 3. Nocturno.

*Homilia in Euangelium* (Siquis vult poſt me venire.) *vt in eodem communi.*

*In Laudibus comm. octauæ, & Feriæ. Miſſa* lætabitur iuſtus, *de communi vnius Marty. Euangelium* Siquis vult poſt me venire, *in ſecundis Veſp. fit comm. S. Damaſi Papæ, & Cōfeſſoris. Semiduplex, octauæ, & Feriæ.*

Die XII. Decembris.

*Et quinta infra octauam.*

*De S. Damaſo Papa, & Confeſſore, Semiduplex (fuit heri) omnia vt in Breuiario die xj. Decembris cum comm. octauæ, & Feriæ. Si verò feſtum S.*

*Da-*

*Damaſi venerit in Dominica transfertur poſt octauam in diem xvj. Decembris quæ erit Feria quinta, & tunc omittuntur Antiphonæ [Rorate Cæli deſuper] quæ dicendæ erant ad Laudes, & per horas illius Feriæ.* Veſp. S. Luciæ, V. & M. Dup. *comm. octauæ, & Feriæ.*

Die XIII. Decembris.

*Et ſexta infra octauam.*

*De S. Lucia, Virg. & Mart. Dupl. omnia vt in Breuiario, cum comm. octauæ, & Feriæ, in vtriſque Veſp. & Laudibus.*

Die XIV. Decembris.

*Et ſeptima infra octauam.*

*Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, Semiduplex, omnia vt in die, præter lectiones.*

In 1. Nocturno.

*Lect. de Script. occurr.*

In 2. Nocturno,

*Ex libro S. Epiphanij, Epiſcopi aduerſus hæreſes.*

*Lib. 3. hæreſi. 78.*

LECTIO iiij.

BEata Mater Dei MARIA per Heuam ſignificatur, quæ per ænigma accepit, vt Mater viuentium vocetur, illa etenim Mater viuentium vocata eſt, etiam poſtquam audiuit. Terra es, & in terrã reuerteris, poſt tranſgreſsionem. Et mirum eſt, quòd poſt tranſgreſsionem hoc magnum cognomen habuit. Et quòd quidẽ pertinet ad rem ſenſibilem, ab illa Heua omnis hominum generatio deducta eſt in terra; hic autem verè á MARIA hæc vita mũdo genita eſt, vt viuentẽ gigneret, & fieret MARIA Mater viuentium. Per ænigma igitur MARIA Mater viuẽtium appellata eſt.

R. jv. Conceptio glorioſæ Virg.

LECTIO v.

HEuæ datum eſt operire Corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilẽ. MARIÆ verò datum eſt á Deo, vt pareret nobis Agnum, & ouem, & ex gloria ipſius Agni, & ouis fieret nobis velut à ve-

vellere in ſapientia per virtutem ipſius indumentum incorruptibilitatis. Heua etiam mortis cauſa facta eſt hominibus per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundum: MARIA veró cauſa vitę, per quã genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei ad venit in mundum: & vbi abundauit peccatum, ibi ſuper abundauit, & gratia: & vndè illata eſt mors, illinc proceſsit, & vita, vt vita pro morte fieret: & qui per mulierem nobis vita factus eſt, mortem ex muliere inductã excluderet. Et quòniam illic Heua, cúm adhuc eſſet virgo, per inobediẽtiam tranſgreſſa eſt: è cõtrário per Virginem obedientia gratiæ facta eſt annuntiato aduentu in carnè decœlo, & vita æterna.

R. v. Cum iucunditate.

LECTIO vj.

DE MARIA accipitur (liceat mihi hoc dicere) quòd Scriptum eſt de Eccleſia: Relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit vxóri ſuæ: & erunt duo in carne vna. Sanctus autem Apòſtolus dicit: Myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia. Et vide Scripturàrum accurátam dicendi proprietátem, quód de Adam quidẽ dixit, formàuit: de Heua verò non formátam eſſe, ſed ædificátã. Accépit enim, inquit, vnam de coſtis eius, & ædificáuit ipſi in vxórem, quó oſtendat, Dominum quidem de MARIA efformáſſe ſibi ipſi Corpus, ab ipſa veró coſta ædificátam eſſe Eccleſiã, in eo quòd punctum, & apèrtum eſt ipſius latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ, prètia redemptionis facta ſunt.

R. vj. Conceptio tua.

In 3. Nocturno.

*Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum.*

LECTIO vij. cap. 1.

¶ Liber Generationis Ieſu Chriſ-

Chriſti, Filij Dauid, Filij A-
braham. Abraham genuit
Iſaac, Iſaac autem genuit Ia-
cob. & reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

*Comm. in Matthæ. Can. 1.*

GReſſus quem Matthæus in ordine règiæ ſucceſ-
ſionis ediderat, & quem Lu-
cas per Sacerdotàlem ordinẽ
dinúmerat, vtèrque agnatio-
nem in Domino vtriùſque
tribus ſignificat, & rectæ Ge
nerarionis gradum ponit:
quia Sacerdotalis, & règiæ
tribus ſocietas, per Dauid ex
cõ iugio inita, iam à Salâthiel
in Zarohabel cõfirmàtur ex
gènere. Atque ita, dum Mat-
theus patèrnam originem,
quæ ex Iuda proficiſcebàtur,
recenſet, Lucas veró accèp-
tum per Natham ex tribu Le-
ui genus è docet; ſuis vtèrque
pártibus Domino noſtro Ie-
ſu Chriſto, qui eſt ætèrnus, &
Rex, & Sacerdos, etiam in car
nàli ortu vtriuſque generis
Glôriam, probauè runt.

R. vij. Beatam me dicent.

LECTIO viij.

QVòd verò Ioſeph pótius, quám Mariæ natiuitas re
cenſétur, nihil refert. èadem
enim eſt totius tribus atque
vna cognátio. Exèmplum au-
tem etiam Matthæus, & Lu-
cas dedèrunt, patres inuicem
appellántes, non tam gènere
quám gente: quia ab vna tri-
bu cœpta, ſub vnius ſucceſſio
nis, & originis familia conti
nètur. Cúm enim Filius Da-
uid atque Abrahæ ſit oſten-
dèndus, ita Matthæus cœpit;
Liber Generationis Ieſu
Chriſti, Filij Dauid, Filij A-
braham.

R. viij. Felix namque es.

LECTIO jx.

NOn refert quis in origi-
nis número atque ordi-
ne collocetur, dúm modó vni
uerſorum familia cœpta eſſe
intelligâtur ab vno. Itaque
cum eiuſdẽ tribus ſit Ioſeph,
& Maria, dum profectus eſſe
ex Abrahæ genere Ioſeph,

 oſ-

oſtenditur, pro ſecta quoque docètur, & Maria. Hæc enim in lege ratio ſeruata eſt, vt ſi mòrtuus ſine filijs familiæ princeps eſſet, defuncti vxòrem poſterior frater eiuſdem cognatiònis acciperet, ſuſceptóſque filios in familiam eius, qui mortuus eſſet, referret: Maneretque ita in primogènitis ſucceſsionis ordo, cùm patris eôrū qui poſt ſe nati eſſent, aut nómine haberèntur, aut gènere.

TE DEVM.

*In Laudibus comm. Feriæ, Aduentus. Veſp. de die octaua Coceptionis B. M. Virg. Dupl. omnia vt in primis Veſp. Feſti cum comm. Fer. & S. Euſebij, Epiſc. & Mart.*

Die XV. Decembris.

*In octaua Conceptionis Beatæ Mariæ Duplex, omnia vt in die Feſti præter lectiones quæ dicunt vt infra.*

In I. Nocturno.

*De Canticis canticorum.*

LECTIO j. cap. 8.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, delicijs áffluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitàui te: ibi corrûpta eſt Mater tua, ibi violàta eſt genitrix tua. Pone me vt ſignáculum ſuper cor tuum, vt ſignàculum ſuper brâchium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: làmpades eius, làmpades ignis atque flammarū.

R. j. Hodie Concepta eſt.

LECTIO ij.

AQuę multæ non potuerunt extinguere charitātem, nec flumina obruent illā ſi dederit homo omnem ſubſtántiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Soror noſtra parua, & vbera non habet: quid faciêmus ſorôri noſtræ in die quādo alloquênda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnácula argêntea: Si oſtium eſt, compingámus illud

ta-

tábulis cêdrinis.

R.ij. Beatiſsimæ Virginis Mariæ.

### LECTIO iij.

EGo murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem repèriens. Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos: trádidit eam custódibus, vir afert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt. Mille tui pacifici, & ducénti his, qui cuſtòdiunt fructus eius. Quæ hábitas in hortis, amici auſcúltant: fac me audire vocem tuam. Fuge dilècte mi, & aſsimilàre càpreæ hinnulóque ceruórum ſuper montes aròmatum.

R.iij. Glorioſæ Virginis Mariæ.

In 2. Nocturno.

Sermo S. Cyrili, Epiſcopi, Alexandrini.

*Homilia contra Neſtorium.*

### LECTIO iiij.

HIlarem video cætum Sãctorum omnium, qui cõuenèrunt promptis animis, á ſancta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine conuocâti. Laus, & Gloria ſit tibi Sancta Trinitas, quæ omnes nos ad hanc celebritâtem conuocâſti. Sit etiam tibi Sancta Dei Mater laus. Tu enim es pretioſa Margarita orbis terrârum, tu Lampas inextinguibilis, Corona Virginitatis, ſceptrũ orthodoxæ fidei, Tẽplum indiſſolubile, cõtinens eum qui nuſquam continèri poteſt, Mater, & Virgo, per quam benedictus, qui venit in nomine Domini, in Sãctis Euangelijs nominâtur.

R.iiij. Conceptio glorioſæ Virginis.

Per

LECTIO v.

PEr te Trinitas ſanctificatur, per te Crux pretioſa celebratur, & adoratur in toto orbe terrarũ. Per te exultat cœlum, lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cœlum reuocatur. Per te omnis creatura idolorũ errore detenta, conuerſa eſt ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad ſanctum Baptiſma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum constructæ ſunt Eccleſiæ.

R.v. Cum Iucunditate.

LECTIO vj.

TE adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Quid plura? Per te vnigenitus Dei Filius, vera illa lux effulſit ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis. Per te Prophetæ prænuntiarunt. Per te Apoſtoli ſalutem gentibus prædicarunt. Quis nam poterit tuarum laudum præconia explicare Maria Mater, & Virgo? Hanc, fratres dilectiſſimi, celebremus, eius Filium Eccleſiæ Sponſum immaculatum adorantes: cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorũ, Amen.

R. vj. Conceptio tua.

In 3. Nocturno.

Lect. S. Euangelij ſecundum Matthæum.

LECTIO vij. cap. 1.

LIber Generationis Ieſu Chriſti, Filij Dauid, Filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. & reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

*Homil. 2. in Matth. poſt initium.*

AVditu quidem mirabile eſt, quod ineffabilis

Deus

Deus, & qui nec Sermonibus explicári poteſt, nec cogitationibus comprehendi; Patrique per omnia coæquális; per Virginis ad nos venit vterum, & fieri ex muliere dignát us eſt, & habere progenitores Dauid, & Abraham: & quid dico, Dauid, & Abrahã? Etiam illas, quòd magis ſtupendum eſt feminas, quas pauló antè memorâui. Hæc igitur audiens mente conſurge, nihilque humile ſuſpicéris, ſed potius propter hoc ipſum maximè mirare, quia cum verus, & dilectus Filius ſit ſempiterni Dei, etiam Filius Dauid eſſe dignàtus eſt, modo vt te Filiũ faceret Dei: ſeruum Patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo Patrem faceret ipſum Deum.

R. vij. Beatam me dicent.

LECTIO viij.

VIdes ab ipſo ſtatim principio, quã læta ſint hæc nũtia, quódiſi ambigis de his quæ ad tuum ſpectant honorẽ, ab ijs, quæ illius ſunt, etiã tua diſce crédere. Quantum enim conſequi poteſt humána ratio; multó eſt difficilius Deum hominem fieri, quám hominem Dei Filium conſecrári. Cũ ergo audieris, quia Filius Dei, Filius ſit, & Dauid, & Abrahæ; dubitáre jam deſine, quòd, & tu, qui Filius es Adę, futûrus ſis Filius Dei. Nõ enim ſemetipſum ita humiliáſſet, niſi nos eſſet exaltatúrus. Natus eſt enim ſecùndum carnem, vt tu naſcerère ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.

R. viij. Felix namque es.

*Si dies octaua venerit in quator Temporibus, nona lectio erit de Homilia illius Feriæ.*

LECTIO jx.

PRopterea Duplex facta Generatio eſt, hęc ſcilicet

noſtræ

noſtræ ſimilis, illa noſtram eminenter excèdens, quod enim natus ex femina eſt, & nobis cōpetit: quòd vero non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Spiritu Sancto aliam nobis ſublimiorem, futuramque, & Spiritu conſequendam Generationem promittit. ſed alia quoque omnia ex ſimili diuerſitate conſtabant. Nam, & Baptiſma profecto tale ſuſcepit, quód haberet quidem, aliquid vete[ri]s, haberet, & noui, quòd enim baptizatus eſt á Prophæta, expreſsit vetus: quód autem deſcendit Spiritus, adumbrauit nouum.

TE DEVM.

*In Laudibus comm. Fer. & S. Euſebij, Epiſcopi, & Mart. in Veſp. comm. Fer.*

# FINIS.

FES-

# FESTVM ROSARII SACRATISSIMÆ VIRGINIS DEI-GENITRICIS MARIÆ.

(*)

*QVod debet vbique, & perpetuo celebrari in his Eccleſijs in quibus adeſt Altare ſeu Capella Roſarij B. Virg. ſub Ritu duplic. maioris Officij in prima Dominica Octobris quæ ſcilicet ocurrit in Kalendis, vel poſt Kalendas ex decreto Gregorij XIII. Omnia vt in dedicatione* Sanct. Mariæ ad Niues, *die quinta Auguſti præter Lectiones ſecundi Nocturni quæ dicuntur, vt infra.*

## *ANTIPHONA AD VESPERAS.*

SAncta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamē, quicumque celebrant tuam ſanctam ſolemnitatem.

## *ORATIO.*

SVpplicationem ſeruorum tuorum Deus miſerator exaudi, vt qui in ſolemnitate ſacratiſsimi Roſarij Dei Genitricis, & Virginis congregamur, eius interceſsionibus à te de inſtantibus periculis eruamur. Per eundem Dominum noſtrum.

*Et fit commemoratio Dominicæ.*

*Lec-*

*Lect. ſecundi Nocturni.*

LECTIO iiij.

Sermo S. Auguſtini, Epiſcopi.

ADeſt nobis dilectiſsimi optatus dies Beatæ ac Venerabilis ſemper Virginis Mariæ: ideo cū ſumma exultatione gaudet terra noſtra tantæ Virginis illuſtrata ſolemnitate. Hæc eſt enim flos cāpi, de qua ortum eſt precioſum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura protoplaſtorum, deletur, & culpa. Præciſum eſt in ea illud Heuæ infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios, quia iſta in letitia Dominum peperit.

Reſp. Sicut cedrus.

LECTIO v.

HEua enim luxit, iſta exultauit: Heua lacrimas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, iſta edidit innocentem. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genetrix Domini noſtri ſalutem intulit mūdo. Auctrix peccati Heua, Auctrix meriti Maria, Heua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit, illa percuſſit iſta ſanauit. Pro inobediētia enim obetientia commutatur, fides pro perfidia compēſatur.

Reſp. Quæ eſt iſta.

LECTIO vj.

PLaudat nunc Organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant letantes Chori, & alternantibus modulis dulciſona carmina miſceantur. Audite igitur quemadmodum tympaniſtria noſtra cantauerit, ait enim: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ: ecce enim ex

hoc

hoc Beatam me dicent omnes Generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, Cauſam igitur innaleſcentis errati miraculum noui partus euicit, & Heuæ plantus Mariæ cantus excluſit.

Reſp. Ornatam monilibus.

*Nona Lectio de Homilia Dominicæ primæ Octobris, & commemoratio in Laudibus, & Miſſa in qua Euangelium vltimum Dominicæ, & comm. in ſecundis Veſp.*

*In Præfatio Miſſæ dicatur:* Et te in ſolemnitate ſacratiſsimi Roſarij Beatæ Mariæ, ſemper Virginis colaudare.

# FINIS.

# FESTVM PATROCINII
## SACRATISSIMÆ VIRGINIS DEI-GENITRICIS MARIÆ.

(***)

*QVod ſemper, & vbique debet cælebrari in Regnis Hiſpaniæ ex conceſsione SS. D. N. Alexandri VII. in ſecunda Dominica, menſis Nouembris*, ſub ritu duplici maioris Officij.

*Hac Dominica ſecunda non intelligitur ſecundum ritum Eccleſiaſticum, ſed ſecunda menſis ex aſsignatione ſic facta ab Ordinario Gadicenſi.*

O*Mnia vt in dedicatione Sanctæ Mariæ ad Niues die quinta Auguſti, præter Lectiones ſecundi Nocturni quæ dicuntur de XII. die menſis Septembris infra octauam Natiuitatis Beatæ Mariæ,* ex Sermone Sācti Ioannis Chryſoſtomi, Dei Filius, *cum nona Lectione, & comm. Dominicæ ſecūdæ Nouemb. in vtriſque Veſp. & Laudib. & Miſſa, in qua Euangelium vltimum Dominicæ. In Præfatio Miſſæ dicatur,* & te in Feſto Patrocinij B. M. ſemper Virginis colaudare.

A*Nno in quo octaua Omnium Sanctorum venerit in ſecunda Dominica Nouembris, Officium erit de Feſto Patrocinij, cum nona Lectione Dominicæ, & comm. diei octauæ, & Dominicæ, & SS. quatuor coronatorum, in primis Veſp. & Laudibus, & Miſſa; in qua Euangelium vltimum Dominicæ; in ſecundis Veſperis, commemoratio dedicationis Baſilicæ Saluatoris, & octauæ Omnium Sanctorum, & Dominicæ, & Sancti Theodiri, Martyris.*

FINIS.

# OFFICIVM RECITANDVM IN FESTO SANCTARVM

## Martyrum, Marthæ, & Suſannæ, Patronarum huius almæ Eccleſiæ Gadicenſis.

(∴)

Die XX. Septembris.

*In Feſto SS. Martyrum, Marthæ, & Suſannæ, Duplex Maius.*

*Omnia vt in Brebiario de commu-*

*muni Sanctarum, nec Virg. nec Mart.*

## ORATIO.

DA nobis, quæſumus Domine Deus noſter, Sanctárum Martyrum, Marthæ, & Suſannæ, palmas inceſſabili deuotione venerari: vt quas digna mente non poſſumus celebráre, humilibus ſaltem frequentèmus obſequijs. Per Dominum noſtrum.

*Ad Matutinũ. Inuitatorium.*

Laudémus Deum noſtrũ, in confeſsione Sanctarum Marthæ, & Suſanæ.

*Pſalm.* Venite exultèmus. I.

## In 1. Nocturno.

*Lect. De libro Eccleſiaſtici.* (Cõfitebor tibi Domine Rex.) *vt in comm. Virginum, poſt Laudes.*

## In 2. Nocturno.

## LECTIO iiij.

Sermo S. Ioannis Chriſoſtomi.

*Serm. 67. de diuerſis locis Noui Teſtamenti.*

EGo maximè commemorationes diligo Martyrũ, diligo, & amplector; atque omnes quidem, ſed tum præcipuè cum mulierum certámina proponuntur. Quantò enim infirmius eſt vas, tantò maior eſt gratia, tantò illuſtrius eſt trophæum, tantò inſignior eſt victoria, non ob imbecibillitatem ſexus athletárũ, ſed quòd per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur.

R. iiij. Propter veritatem.

## LECTIO v.

PEr mulierẽ vicit, per mulierem ſuperàtus eſt. Hæc

iiiius

illius antea telum erat; hoc illius nunc cædis factum eſt inſtrumentũ, hoc vas apparuit inſuperábile. Peccauit illa prior, & mortua eſt: iſta mortua eſt ne pecáret, illa tũ futilis promiſsi ſpe infláta Dei leges violàuit; hæc vitã preſentem contempſit, ne fidem in ſuum benefactorem eiuráret. Quam igitur de inceps ſperáre poterunt excuſationem viri, ſi molles ſint, & ignáui; quam verò veniã, cum fortiter ac viriliter ſe gerant mulieres, cum adeó ſe generoſe ad certamina pietátis accingant?

R. v. Dilexiſti iuſtitiam.

LECTIO vj.

FVit illi corpus imbecillũ, & obnoxius ſexus iniuriæ verum tamen omnium horũ imbecillitátem adveniens gratia occultáuit. Nihil enim eſt, nihil planè potentius eſt eo qui magno cum ſtudio Dei timòrem habeat in mente defixum, ſed quamuis ignes, quamuis ferrum, quamuis beſtias, quamuis aliud quiduis minentur hoſtes, omnia nullo negotio cõtemnit; quod vtique Beata iſta etiam fecit.

R. vj. Fallax gratia.

In 3. Nocturno.

HOmilia in Euangelium (Simile eſt Reg. Cæl. theſauro, abſcõdito in agro) *vt in comm. nec Virginis, nec Martyris.*

*Nona lectio erit de Vigilia S. Mathei Apoſtoli, & comm. ad Laudes, niſi hoc Feſtum veniat in quatuor Temporibus quia tunc nona lectio erit de Homilia Feriæ, & comm. eiuſdem, & tunc nihil fit de Vigilia niſi in Miſſa.*

*Feſtum Martyrum SS. Euſtachij, & Sociorum eius transferen-*

**MA[illegible]HÆ, ET SVSANNÆ.**

*ſertur in primam diem non [illegible] ibi ſit comm. Sanct. Marthæ, impeditam. In Veſp. S. Ma[illegible] & Suſannæ.*

# LAVS DEO:

## ET BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ, ABSQVE ORIGINALI PECCATO, CONCEPTÆ IN PRIMO SVÆ CONCEPTIONIS INSTANTI.

# INDEX
## FESTORUM EPISCOPATUS GADICENSIS.

IANVARII, DIE XIX.

SS.Martyr.Felicis,& Ianuarij. *Semiduplex.*

MARTII, DIE I.

S.Angeli Cuſtodis. *Duplex.*

DIE II.

S.Hiſcij,Pontif.& Martyr. *Duplex.*

MAII, DIE III.

Inuẽtionis S.Crucis,titularis Eccleſiæ Gadic. *Dup.cũ octaua.*

DIE XV.

S.Iſidri Agricolæ,Confeſ. *Duplex.*

DIE XXIII.

SS.Marty.& Pontif.Epitacij,& Baſilei. *Duplex.*

IVNII, DIE I.

S.Firmi,Martyris. *Semiduplex.*

DIE VI.

Dedicationis Eccleſiæ Gadicenſis. *Duplex,cum octaua.*

IVLII, DIE IV.

S.Eliſabeth,Reginæ Portugaliæ,viduę. *Semiduplex.*

DIE VII.

SS.Lucię,& Sociorum,Martyrum. *Duplex.*

DIE VIII.

S.Aquilæ,Epiſcop.& Martyr. *Duplex.*

DIE XVII.

S.Alexij,Confeſ. *Semiduplex.*

AV-

AVGVSTI, DIE XII.

S.Claræ, virginis. *Duplex.*

*Septemb.* DIE XVII.

*S*anctiſsimi Nominis Mariæ. *Duplex.*

DIE XVIII.

*S*.Thomæ de Villanoua, Confeſſor. Pontif. *Semiduplex.*

DIE XXII.

Impreſionis ſtigmatum *S*.Franciſci, Confeſſor. *Semiduplex.*

DIE XX.

*SS*.Martyrum, Marthæ, & *S*uſannæ. *Duplex.*

OCTOBRIS, Prima Dominica.

Roſarij Beatę Mariæ Virginis. *Duplex Maius.*

DIE XXIII.

*SS*.*S*eruandi, & Germani, fratrum Martyrum. *Duplex primæ Claſis, cum octaua.*

NOVEMBRIS, *S*ecunda Dominica.

Patrocinij B.Mariæ Virginis. *Duplex Maius.*

DECEMBRIS, DIE *II*.

*S*.Franciſci Xauier, Confeſſor. *Duplex.*

DIE V*III*.

Conceptionis B.Mariæ Virginis. *Duplex primæ Claſis, cum octaua.*

DIE *II*.

*S*.Euthichij, Martyris. *Duplex.*

DIE XXX.

Translationis *S*.Iacobi Apoſtoli. *Duplex.*

FINIS.

# GADIBVS

CVM LICENCIA OR-
DINARII, ANNO DOMINI
M.DC.LXII.

EX OFFICINA
IOANNIS LAVRENTI MACHADO,
TYPOGRAPHI.

(∴)